



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Agens De Rebus Ecclesiæ Sacris, & profanis, earumque usu, acquisitione,
conservatione, & alienatione

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Titulus II. De Decimis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61834)

TITULUS II.

De Decimis.

IN libro 3. Decretalium *titulus* 30. est de Decimis, multis capitibus distinctus. De iisdem *Gratianus* agit in *Causa* 13. *Q. 3. & 16 p. 1.* quorum auctoritate nixi Interpretes olim, & Summistæ auxerunt Commentaria sua Recentiores vero Moralis Theologiæ Magistri multo copiosius tradunt. Numerum & nomina invenies apud *Barbos. l. 3. Decretal. tit. 30.*

§. I.

De origine Decimarum, & necessitate.

I. Primum inter homines Deo vovisse, & quas voverat, decimas dedisse Jacobum Patriarcham legimus *Gen. 28. v. ult.* Nec dubium, quin à majoribus suis & hos ipsius Naturæ magisterio didicisse, illi, à quo omnia, deberi omnia, idque solenni ritu aliquo, cultuque manifestandum. Sed quia bonorum nostrorum auctor Deus non indiget, in ministrorum usus discernenda portio fuit, & consumenda nostræ observantiæ & gratitudinis argumenta. Pluribus igitur titulis ac nominibus Decimarum tributa debentur. *Rebuff de decimis Q. 1. num. 9. Azor. l. 7. c. 27 Q. 6. Suar. l. 1. de Relig. c. 11 num. 5. Tuschus. Concl. 62.*

II. Ante legem Mosaicam igitur decima separata pars est ultronea voluntate: in lege postmodum præcepta. *Nm. 18. v. 24.*

Deuter. 14. v. 22. & 28. hodie non nisi iure ecclesiastico debita. *c. Tua nos. c. Transmissa. c. non est. c. Pervenit. de decimis.* Quod *S. Aug.* confirmat *Serm. 1. Domin. post Trinit. 16. Q. 1.* ubi ait. Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas invasit. Adde *Co Tr. S. 25 c. 12. S. Tho. Q. 87. a. 1. Bellar l. 1 de Cler. c. 25. Anchar. Conf. 196.* Consentiant Summistæ *Angelus Silvester, & alii communiter.* Cur autem decima potissimum pars Ministris ecclesiæ separata sit, causam ex mystica numeri denarii significatione *Origeni* adfert, eumque secutus *Angelus & Rebuffus*: quia nimirum numerus perfectus est, & quasi primus limes numerorum, ultra quem numeri non procedunt. Deo igitur debentur primitiæ & decimæ, quod ab eo principium omnium nostrorum operum incipiat, & in eo finiatur actiones nostræ, quæ per alios numeros designantur. *Rebuff. p. 2. Moscon. de Maies. Eccl. l. 1. de benef. Par. 3. c. 3.*

III. Obligatio solvendi decimas universè tolli, & abrogari non potest, ita ut Ministris Ecclesiæ nihil omninò tribuatur, ab iis, qui de altari participant. Nam quatenus ad necessariam vitæ sustentationem pertinent, iuris divini & naturalis est. *Matth. 10. v. 10. Luca 10. v. 7. 1. Cor. 9. v. 19. 1. Cor. 5. v. 18.* Quis enim militat stipendiis suis unquam, aut quis plantat vineam, & de fructu eius non edicit? *Nihil.*

Nihilominus tolli & abrogari potest 1. voluntate seu privilegio Summi Pontificis, non verò Imperatoris, aut cujuscunque Domini temporalis. *c. tua nobis, de Decim.* Laicis enim nulla est de spiritualibus disponendi potestas. 2. per remissionem eorum, quibus debentur: ut si Ecclesiæ Ministri, quemadmodum in Italiâ fieri dicunt. *Navarr. Tolet. & Zerola*, decimas non exigant, ut eatenus infirmorum scandalo, & offensionibus consulant. quem morem etiam *S. Thom.* laudat 22. q. 87. art. 1. ad 5. 3. per transactionem inter Ecclesiæ Ministros & Subditos factam juxta *multiplici de Dec.* ubi compositio de Decimis per subsequens privilegium nõ tolli declaratur. *Fagund. in 5. Prac. Eccl. l. 3. c. 2.* 4. per consuetudinem contrariam legitime formatam; quicquid aliqui Canonistæ reclamant, falsò existimantes decimæ partis solutionem juris naturalis aut divini esse: quos Theologorum & Summistarum major pars redarguit. *Covarr. l. 1. Var. c. 17. n. 8. Nav. c. 21. n. 30. Silv. V. n. 1. Armilla & alii 5. per præscriptionem.* Nam ut *Covarr. l. cit.* multis probat, Laicus, qui vel immemoriali tempore, vel 40. annorum spatio cum titulo & bonâ fide decimas non solvit, ab obligatione solvendi liber est. *Henriq. l. 7. c. 27. n. 2. Valent. q. 5. pun. 2. Suar. l. 1. c. 13. & 27. Laym. l. 4. tract. 6. c. 6. num. 10. Vallens. l. 3. tit. 30. §. 8. Fagund. in 5. Prac. Eccl. pag. 826. Canis. l. 2. Insti. c. 26.*

IV. Unde colligitur alias ab his diversis præventiones pseudo Apostolorum, & Wiclephistarum non solvendi decimas nullo probabili fundamento niti; cujusmodi sunt illæ in *c. Tua nobis* indicatæ. 1. vitam Clericorum minus puram,

& corruptos mores non mereri tributum decimarum. 2. aliarum Ecclesiarum, vel etiam pauperum necessitati per decimas subveniendum esse. 3. sufficere, si quod residuum est, ex impensis, & semine subducto pro decimis pendatur. Non sunt, inquam, hæ causæ probabiles negandi decimas, sed perveræ machinationes subtrahendi ea quæ Deo debentur: ac proinde compellendi sunt ad decimas cum integritate reddendas omni appellatione remotâ. Debentur enim non propter innocentiam & sanctitatem Ministrorum Ecclesiæ, sed propter laborem, sollicitudinem, & officia, quæ præstant: adeoque quamdiu his juxta obligationem suam probè funguntur, stipendio privandi non sunt: nec ulli concessum est, quæ aliena sunt, præter domini voluntatem, transferre, vel dispensare. *Tholos. l. 2. Syntagm. c. 2. Suar. l. 1. c. xi. n. 9. Reginald. l. 18. de primit. & Decim. q. 2. Castro V. Decima Pfafec. par. 2. c. 4. p. 329. Vallens. l. 3. tit. 30. §. 6. Tuschus. Concl. 62. Alph. Castro l. 4. adv. hæreses in V. Decima. Barb. in c. Tua nobis hoc it.*

§. II.

Quibus personis Decime debeantur.

Decimarum tria genera passim constituantur. Aliæ enim sunt prædiales, aliæ personales, alia mixtæ. Prædiales ex agris, Vineis, silvis, aliisque immobilibus bonis solvuntur. Personales ex lucro industriæ, negotiationis & similium. Mixtæ partim prædiales, partim personales sunt, & ex fructibus pecorum vel avium in propriis prædiis mediante personali

Nu 3

sonali

sonali industriâ penduntur. *Na. ar. c. 21. n. 29. Sylv. num. 1. Mosconius l. 1. de benef. c. 3. Layman l. 4. tract. 6. c. 1. n. 4. Tuschus Concl. 63. Toletus l. 6. c. 20.*

I. Decimæ secundum primam institutionem non solis Parochis, sed aliis etiam Ministris Ecclesiæ debentur, tum ad necessariam alimoniam, tum ad usum templi & ministeria. Neque enim soli animarum Pastores, sed alii quoque de Clero, ut Levitæ blim, separati ac divino cultui mancipati sunt: ob eamque causam jus habent participandi ea, quæ offeruntur, ut qui Altari serviunt, de eodem vivant. *c. 1. & 2. & c. Non est de Dec. Rebuff. q. 7. n. 1. At verò post factam Diocesium divisionem, quæ Apostolis ascribitur, primò, & principaliter animarum curatoribus, Episcopis dico, & Parochis persolvendæ sunt. Ratio ex justitiæ debito sumitur. Quemadmodum enim onus onere majus est, ita illi majus stipendium debetur, vel stipendiî vice alimonia. Parochorum verò officium majus, & laboriosius esse, nemo ignorat. Sed eodem nomine, & jure Episcopi gaudent, qui majores Parochi, & Curionum sunt ad totius gregis custodiam à Deo ordinati. *Ostiens. 10. And. Rebuff. q. 6. num. 6. Suarez l. 1. c. 18. n. 5. & seq. Tuschus Concl. 64.**

I. Imò triplici titulo Episcopis decimæ conveniunt 1. ratione Ecclesiæ majoris, seu Cathedralis cujus ipsi præsidet sunt. 2. ratione Parochiarum, in suis Diocesium. 3. ratione mensæ & personæ suæ ex præsidii intra Diocesim sitis, & nulli Parochiæ specialiter attributis. Huic tamen jure aliàs communi, vel particularibus statutis, vel conventionibus hodie derogatum est: fieri tamen potest, ut

nunc quoque omnes decimæ ad Episcopum pertineant. 1. Si ipsemet immediatè curam habeat Ecclesiæ Cathedralis, vel alterius Parochialis. 2. Si Diocesis suæ prædia nulli Parochiæ attributa sint. 3. Si Diocesis in plures Parochias divisa non est. *Rebuff. & Suarez l. 1. citatis. Layman l. 4. tract. 6. c. 4. n. 6. Zerola part. 1. v. Decimæ. ad 10.*

III. Capitulo quoque, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, ac præbendariis decimæ conveniunt, & debentur. *c. ex parte de Decim. & c. Tua nobis hoc et. Ratio petenda est ex pia voluntate & fundatione benefactorum, qui Ecclesiis majoribus bona sua assignarunt, ut divino cultui vacantes non carerent vitæ subsidiis. Quocirca non tantum ex virtute Religionis, sed justitiâ quoque illis præstandæ decimæ sunt, quia pro labore, & sacro Ministerio debentur. Neque obviare potest quorundam negligentia, vel improbitas. Quamdiu enim munere suo funguntur, & Ecclesiæ deserviunt, attributum isti Ministerio stipendium merentur. *Bonac. pun. 3.**

IV. Clericis non curatis & regularibus jus decimarum per se loquendo non competit: idque nonnulli *S. Tho.* auctoritate probant, qui *q. 87. art. 3.* Solis Clericis curam animarum gerentibus tribuit: Religiosis quoque negat, nisi fortè Parochorum munere fungantur: dari tamen posse, ac debere per modum elemosinæ, ut qui charitatem aliis præstant per orationem, jejunia, & alia pietatis opera, vicissim experiantur illorum charitatem per subsidia temporalia. Clerici quoque non curati tunc de decimis capere partem possunt, cum in Ecclesiâ aliquam præben-

præbendam habent, vel ministeriis exercent. Multo minus Laicis jus decimarum convenit. *c. quamvis de Dec. in causam de præscript. c. Decimas 16. q. 2. & DD. communiter.* Fructus tamen sive prædiales, sive personales concedi possunt. *Tholos. l. 2. c. 25. Henric. l. 7. c. 27. n. 2. Moscon. l. 1. de benef. par. 3. c. 3. Zypæus l. 3. Responfor. Resp. 2. Less. c. 39. D. 4. n. 19. Tusch. Concl. 72.* Aliqui tamen Jus quoque decimarum quamvis spirituale Laicis à Papa concedi posse existimant, & concessum actu quibusdam Regibus esse. *Roder. II. q. 43. art. 3.*

V. Prædiales decimæ etiam novalium illi Ecclesiæ debentur, in cujus Parochia prædia constituta sunt. *c. Cum contingat. c. Cum in tuâ de Decimis. & c. ult. de restit. spo. liat.* Aliàs magna incommoda, & rerum confusio sequeretur, quibus avertendis præfigendi termini sunt, & sua singulis jura assignanda. Quod si in quibusdam locis contrarium servatur, consuetudini aut præscriptioni tribuendum. *Barb. in c. Cum contingat h. r.*

VI. Si in nullius Parochiæ finibus prædia contineantur, illorum decimæ ad mensam Episcopi pertinere videntur. Eadem enim ratio videtur harum, & illarum esse, quæ proveniunt ex noviter cultis terris ad nullam Diœcesin pertinentibus, quas Episcopo ascribit. *c. Cum contingat. & c. quoniam.* Vbi *Barbos.* notat, si locus intra duas parochias sit, nec leatur, sub qua sit, non esse Episcopo decimas dandas, sed dividendas ita, ut pars uni, & pars altera alteri obveniat.

VII. Vbi Ecclesia baptismalis à Parochiali distincta est, ex personalibus decimis portio aliqua, eoque minor baptis-

mali inferenda est. *Abb. in c. Cum contingat.* Quod verò prædiales attinet, Ecclesiæ Parochiali omnes tribuendæ videntur, nisi fortè baptismalis antiquior esset. Tunc enim, ut tempore, sic jure antecedit Parochialem & percipiet decimas. *c. Ecclesia c. quicumque 16. q. 1.* Fieri tamen potest, ut extructa nova Ecclesia Parochiali, in eam cum administratione Sacramentum transferatur jus decimarum, antiquiori Ecclesiæ sublatum. *Abb. Consl. 58. Col. 2. & 3. lib. 1. Tusch. Concluf. 64. Suar. c. 24. Laym. l. ci. c. 4. n. 3. & 4.*

VIII. Erigitur nova Parochia, eique tribuuntur agri, & campi in territorio alterius Parochiæ positi, utri decimæ debentur? Novæ Parochiæ *S. Thom. favet q. 87. art. 4.* quem multi sequuntur. Nam in *c. questi. 16. 1.* unicuique Ecclesiæ permittitur, ut ex possessionibus, quas accipit ad suorum Ministrorum sustentationem decimas alteri non solvat: quod videtur intelligendum, ubicunque locorum ille existant. Verior tamen opinio est, antiquæ Parochiæ adjudicantium. *c. Ecclesia 16. quest. 1.* Ecclesiæ antiquitùs constitutæ nec decimis, nec ulla potestate priventur, ut novis Oratoriis tribuantur. Idem habes in *c. quicumque eod.* Res enim cum onere suo transit. *l. si convenerit ff. de pignor. act. & grave damnum priori Ecclesiæ vitandum est. Fagund. in 5. Prac. Eccles. l. 1. c. 7.*

IX. Ex dictis sequitur, præ aliis omnibus jus decimarum Summo Pontifici competere, tum ratione sui, ut percipiat, quantum statui suo satis est, tum ratione inferiorum, ut quando res exigit, suam illis portionem assignet, & ad præstandum Subditos obliget.

Est

Est namque supremus & generalis pastor, bonorumque Ecclesiasticorum administrator, quemadmodum in 1. parte Summa tt. 14. §. 2. ostendimus. Panorm. in c. inter cetera de off. lud. ord. Moscon. l. 1. de benef. part. 3. c. 3. Rebuff. q. 1. n. 15. & q. 13. n. 110. Fill. tract. 27. part. 2. Less. c. 39. D. 5. n. 29. Franc. Leo in thesau. Eccl. part. 2. c. 30. Facit illa potestas & administratio, ut Papa vel motu proprio, vel ad Regum ac Principum supplicationes aliquando decimas indicat, aut permittat ex bonis Clericorum, ac Regularium sumendas, de quibus non uno loco Card. Tuschus in V. Decima Concl. 81. & 82. ubi addit eas decimas solvi debere ad instar decimarum personalium, deductis expensis, quæ fiunt gratia fructuum querendorum, percipiendorum, & conservandorum. Gemin. Consil. 85. n. 3. & seq. Vers. quadam sunt. ubi allegat Gloss. in Clem. 2. de Decim. quæ dicit, ita fuisse declaratum per Papam, ubi est casus consilii. V. Barbof. in Prætermis. ad c. Decimas 16. q. 7. ubi exempla plurimorum Regum ab historicis numerari tradit, quibus decimæ à Summis Pontificibus concessæ sunt: intellige de fructibus decimarum, non de jure. quod Laicis non convenit.

§. III.

A quibus debeantur decimæ.

I. **P**ersonales decimæ à solis & omnibus illis debentur, qui Sacramenta percipiunt, & illi Ecclesiæ, à qua Sacramenta administrantur c. Apostolica Lestus c. 39. D. 5. n. 27. Valens l. 3. tit. 30. §. 7. Hoc tamen tempore vix ullibi consuetudo est,

hujus generis decimas solvere, & in Germania nostra ipsum nomen ignoratur; nec realium exactio satis accepta, ut eò libentius personales negligantur. Navar. autem c. 21. n. 31. & Vasq. D. 6. in quibusdam Hispaniæ regionibus de salariis servorum & ancillarum exiguntur. In Lusitaniæ majoribus oppidis pro personalibus decimis solvi cognitiones, seu certam nummorum quantitatem Fagundes memorat. in V. præc. Eccl. l. 1. c. 4. idque Paschali tempore, quo ad S. Eucharistiæ perceptionem obligantur.

II. Clerici curam animarum non habentes de lucris ac redditibus temporalibus titulo acquisitis per se, & personali titulo præstare decimas tenentur Parocho, à quo Sacramenta recipiunt. c. novum genus de Dec. In hac materia enim non ut Clerici habentur, sed ut Parochiani, quemadmodum in cita cap. Barbo. cum multis aliis notat. Et quamvis hodie definitio illa locum non habeat, cum ne Laici quidem personales decimas præstent, in terris novalibus tamen recenter à Clerico cultis locum habere potest, quandoquidem ex illis intra Parochiam suam contentis pendere tributum decimarum tenentur, non per accidens ratione rei, sed per se, & ratione propriæ personæ. Neque obstat, quod in eod. cap. novum genus exactiois esse dicitur, ut à Clericis Clerici decimas exigant, quia sermo est, de decimis bonorum & reddituum Ecclesiasticorum. Covar. l. 1. Var. c. 17. num. 8. Suar. c. 17. num. 2. & 3. Laym. l. 4. tit. 6. c. 3. n. 2. Casif. de Dec. v. 6.

III. Neque Regulares, si jus antiquum spectes, à solutione personalium decimarum exempti sunt, sed Parocho præstare tenentur.

tenentur. *c. Commissa & c. Ex parte h. t.* Sunt enim ipsi quoque quoad hoc Parochis subiecti. Porro de privilegiis, quibus hodie instructi sunt Mendicantium præsertim Ordines, consuli potest Casarubios in *Comp. Fratrum Minorum*, & *Laym. l. cit. Barb. in c. ex parte, & c. licet.* Ubi notat privilegium, quod aliqui habent non solvendi decimas ex novalibus, quæ propriis manibus colunt, esse personale, adeoque non transire ad colonos, emptores, & conductores prædiorum. Quod verò realia privilegia attinet, quibus agri, horti, vineæ, & similia bona pronunciantur libera, non est, quod multum gaudeant Regulares, quia Decimatores antiqui, damnosam & præjudiciali sibi exemptionem minimè agnoscent.

IV. Ad decimas ex debito reali & bonis ipsis annexo, nemine excepto secundum commune jus omnes obligantur. Nam sicuti hominem lepra, quocumque se verterit, ita rem onera sequuntur, eique adhærent tam diu, donec per aliquam relaxationem, vel transactionem, aliove legitimo modo tollantur. Unde fit, ut sæpè una Ecclesia, vel Monasterium alteri ad persolvendas decimas teneatur, quando nimirum ea bona acquisivit, quæ tali onere gravata erant. *c. nuper de Dec. Dico omnes teneri, ut ne quidem Judæi & infideles excipiantur. c. de terris. c. quanto de usuris, & ibi Barb.* Nec ipsi Parochi, Episcopi, & ipse Summus Pontifex, si prædia possideat huic oneri subiecta. *Suar. c. 17. Fill. c. 8. n. 171. Fagund. l. cit. c. 4. Piasec. part. 2. c. 4. n. 61. Tuschus Conclus. 66. lac. de Graff. part. 2. l. 2. c. 27. n. 46.*

V. Qui gravi paupertate laborant, à decimarum solutione liberi sunt. Eccle-

sia enim, quæ decimarum jus Ministris suis tribuit, non censetur velle, ut à quibuslibet etiam indigentibus exigant, quin potius ex perceptis subvenire desiderat: quam ob causam decimas alimenta pauperum vocat *c. Decima. c. quoniam. 16 q. 1. c. Pastor. 1. q. 2. Sylv. V. Decima n. 13.* An verò, cum ad meliorem fortunam devenerint, compensare debeant, quod paupertatis tempore neglectum est, dubitare licet. Non teneri probabilius est. Eadem enim Ecclesiæ adversum pauperes benignitas, quæ ab onere decimarum liberantur, persuadet, eam velle, ut absque reservatione, simpliciter, & absolute liberi maneant, maxime, cum ejusmodi compensatio non exiguis molestiis affecta sit, semper ignorantibus & ambigentibus, quid, quantumve ex neglectis decimis compensari debeat. Contrarium à plerisque doceri *Fillinc.* affirmat in *Tr. 27 c. 8. n. 166.* Nam tributa regibus pendunt etiam inopes, quid ni decimas quoque Ministris Ecclesiæ. Verum sequela incerta & infirma est, considerando Ecclesiæ in pauperes pium affectum, quoad dandum, quàm exigendum propensior est.

VI. Quid fiet, inquit, si Dominus agri, destruat illum, ædificando domum in illo? Resp. Dominus ædificans in fundo suo, utitur jure suo: Ecclesia verò non privatur directè, & immediatè jure suo, sed consecutivè: quemadmodum in simili, si ager non coleretur. Et credibile est initio sic convenisse inter Pastores Ecclesiarum, & subditos illorum, ut tam diu decimas pendant, quamdiu ex bonis à se cultis fructus proveniunt. Ita ferè *Fagund. in 5. Prac. Eccles. l. 1. c. 6. ci. fin.* non malè,

malè, si de damno non maximo intelligatur: & aliunde superfit Curioni alimonia. Quis enim ferat directè vel indirectè auferri necessarium stipendium illi, quem jure noveris exigere posse?

§. IV.

Ex quibus rebus exigenda Decima sint.

I. **D**E omnibus bonis, quæ divino munere acquirimus, exigenda decimæ possunt. *c. Parochianos c. ex parte c. Tua nobis c. ex transmissa. c. Pastora. is c. cum in tua in c. non est*, ita enumerantur. De vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsâ etiam militiâ, de venatione, & de omnibus bonis decimæ sunt tribuendæ, ut qui de his eas solvere neglexerint, Ecclesiasticâ distributione debeant compelli. *Panor. Rebuff. Vivianus. Suar c. 31. Fran. Leo in thes. par. 2. c. 27. Less. l. 3 c. 39 D. 3. lac. de Graff par. 2 l. 2. c. 27 n. 36.* Sed an de minimis quoque? Affirmat *Azor. l. 7. c. 24. q. 9.* ex oleribus etiam leguminibus, croco, scæno, & similibus intellige nisi contraria consuetudo valeat. *Tholosanus enim l. 2. c. 26.* tolerari consuetudinem ait, non solvendi decimas ex minutis rebus, dum modò sit præscriptio, cujus non extet memoria: & in Gallia juxta constitutionem Philippi Augusti non posse exigere decimas de rebus minutis, de quibus antea nunquam constat exactas esse. *V. Zypaum l. 3. Consult. Conf. 4.*

II. De iis, quæ acquiruntur liberali donatione sive inter vivos, sive causa mortis, per legatum aut institutionem hæredis variant DD. sententiæ. Deberi inde

decimas censet *Ostiensis, Silvester. & alii. Azor. quest. 10. secutus Rebuffum quest. 8. num. 31.* ad fructus, & bona mobilia intringit, quia, *inquit*, per donationem acquisita lucra sunt. Contrarium affruit *Suarez. c. 31. cum Innoc. in c. non est Panor. Valentia III. D. 6. q. 5. pun. 2. Silvestro. Tabiena, & al. multis.* Ea enim, quæ nobis liberali donatione obveniunt, non sunt, ut supponunt, alterius sententiæ Auctores, lucra, quia non nostra industria & manu, sed aliorum opera acquiruntur. Neque ex Canonibus aliud colligi potest, ut meritò sibi ipsis inimici censentur esse, qui tale onus admittunt.

III. Diversa ratio illorum bonorum est, quæ illicito modo acquirimus & lucratur: valetque Rosellæ distinctio. Si recipiens domini capax est, ad decimam tenetur Ecclesiæ: quæ tamen non exiget, ne latere iniquitati videatur: si verò domini incapax est, malè quæ sit nulla decimatio fiet. Unde sequitur, meretricum salaria decimationi obnoxia esse, usurariorum verò, furum, & raptorum lucra non esse. Hi enim contra justitiam peccant, & ad restituendum veris dominis tenentur: meretrices pro usu corporis sui, & obsequio mercedem accipiunt, malè quidem, non tamen injuriosè. Quòd si ex cæno spurcæ voluptatis emerferit aliqua ejus ut possit, non tamen admittet oblationem, aut decimam Ecclesiæ, non quid debeat, sed quid expediat, attendens. *Glo. & DD. in c. ex transmissa Moscon. l. 1. de ben. par. 3. c. 3. Thol. l. 2. c. 24. Fag. in 5. Eccl. par. l. 1. c. 2.* Addit *Suar. si scorti alicujus peccatum occultum sit, & scandalum non timeatur, dare decimam partem de acquisitis bonis posse, eamq; à Parocho acceptari;*

cari, etiam delicti gnaro. Hoc enim nulla lege prohibetur, nec aliud incommodū sequitur. Quin etiam cum de peracta peccantia, & vitæ mutatione constat, publici peccatores etiam de anterioribus lucris decimas præstare possunt, easque Ecclesia recipere. *S. Tho. Innoc. Raym. Silv. Jac. de Graff. par. 2. l. 2. c. 27. n. 43*

IV. Titius pro stipendio laboris sui domum accepit (eadem ratio similibus est) nunquid ex ea decimas dabit? Datum existimat *Suarus c. 32.* vocans decimam personalem, quæ debeatur non solum, quando pecunia acquisita est, sed etiam quando fuerit triticum aut simile quid. Nam qualitas rei accidentaria est, & locum pecuniæ supplet domus in stipendium accepta. Malim cum *Gloss. & aliis* negativam partem sequi, quia in *c. Pastoral.* manifestè dicitur. Cum domus, ager, vinea, clibanus, molendinum, aut simile quid venditur, de residuo quasi lucro dandas decimas esse. De ipso adificio igitur, quia per se non parit lucrum, decimatio nulla fit. Idem de præda militari rerum immobilium fateri oportet, ut ipsemet *varez* fatetur, & *Barb. in c. Pastoralis* universaliter astruit de immobilibus decimam quærendam non esse, citans *Rebuff Guil. Benedictum, Monetam, & Azor. l. 7. c. 24. q. 21.*

V. Si agrum locasti pro certa pensione, ex ea nemo decimas exiget. Illum enim cum oneribus suis conductor habet, & ex fructu illius satisfaciet decimatori. Neque hic audiendus *Abulensis*, qui in *c. 23. Matth. q. 204.* contrarium docet, non animadvertens ex eadem Ecclesiam duplices decimas nunquam exigere, quod hic fieret, si & locator & condu-

ctor ex eodem agro decimas exhiberet. *Silv. v. Decima n. 14. Zerola part. 1. n. 4.*

VI. Transivi per agrum hominis pigri, & ecce opertum spinis & urticis: coluisset illum, & Ministris Ecclesiæ decimas adferret, an non compensabit? si obligatio restituendi ex læsione iustitæ nascitur, pigri & inertes ad nullam compensationem tenentur. Neque apparet, quomodo ex possibilibus tributum petamus, fructusque nondum natos capere velimus. *Lessius c. 5. D. 7. num. 38.* Addit *Bonacina* probabilius videri, eum, qui segetes quamvis injustè combusserit, aut conculcarit, non teneri ad restitutionem decimarum, quæ ex conservatis perceptæ essent, quia nemo tenetur solvere decimas ex fructibus quos non colligit sua culpa: ergo nec, si fruges combussit, antequam fructus inde lumeret. In eandem sententiam allegat *Lessium*, sed parùm fideliter. Quamvis enim *c. 5. D. 7. num. 38.* dicat, secundum quosdam non teneri ad compensandum Ecclesiæ decimas, quas venatores de rebus capitatis alicubi solvere solent, si illos impediatur, quia decimæ, nisi de rebus perceptis non debentur; in *c. 39.* tamen agens ex professo de Decimis *Dub. 3. n. 15.* disertè affirmat non posse excusari eum, qui segetes ita destrueret, vel agricolam impediret, ut odio Ecclesiæ id se facere, opere ipso demonstraret.

VII. In prædialibus decimis non sunt expensæ deducendæ *c. Tua nobis. c. non est c. cum homines. & communiter DD.* Nam textus citati ita perspicui sunt, ut nullam cavillationem admittant, teste *Tiraquello de retractu gentil. §. 15. Gloss. 1. n. 10. V. Zypaum l. 3. Consult. Canoniar. Conf. 2.* qui

Oo 2 exten.

extendit quoque ad novalia, & agros, qui perruptis aggeribus inundati sunt. Neque enim propter reparationem aliquid decerendum est ex consuetis decimis, juxta *c. Pastoralis*. Æquitas tamen postulat, ut rusticis, qui novalia recens coluerunt, aliquot annorum immunitas concedatur, ut eò libentius terris incultis operam suam impendant. *Escobar. Tr. exam. 14. c. 4.*

DIXI In *predialibus*, ut personales decimas exciperem, in quibus deducuntur expensæ. *c. Pastoralis hoc tit.* Nam ratione iucris præstantur, quod quale sit, nisi deductis expensis, non intelligitur. At, *inquit*, fructus agrorum & arborum quoque ut proveniant, impensæ fiunt: cur non eodem modo deducuntur ante decimationem? Dux communiter causæ assignantur. Una est, quia lucrum meræ industriæ nullo modo intelligi potest, nisi prius impensæ separentur. Lucrum enim vocamus illud solùm, quod de novo accedit bonis nostris: fructus verò sive arborum sive agrorum DEI & naturæ beneficio magis, quam nostrâ industriâ proveniunt, ita ut neque qui plantat, neque qui rigat, sibi ascribere proventum possit: ac proinde non habitâ impensarum consideratione decimandi sunt. Altera est, quæ in Veteri legi Deus præcepit prædiales decimas integras solvi *Exodi 22. Levit. 27. & alibi*. Nec conveniens est, ut Evangelii & novæ legis Ministri deterioris conditionis sint. *c. Tua nobis. c. Commissum hoc tit. S. Thom. 22. quest. 87. art. 2 ad 1. Innoc. Ostiens. Anton. Panorm. Rebuff. quest. xi. Silv. num. 9 Tholosan. l. 2. Syntagm. c. 26. Franc. Leo part. 2 c. 27. n. 60. Suar. c. 33. Laym. l. 4. tract. 6. c. 1. n.*

4. Moscon. l. 1. p. 3. c. 3. Canisius de decimis c. 2. n. 3. Piasecius in praxi part. 2. c. 4. n. 60. Valens l. 3. tit. 30. §. 5. n. 2. Bonacina. tomo 2. pag. 351. n. 19 Nav. c. 21. n. 31. Armilla V. Decima n. 2. Silv. n. 15. Azor. par. 1. l. 7. c. 35. q. 4. Escobar. tract. 2. Ex. 14. c. 4.

§. V.

De tempore, & loco, in quo Decima solvantur.

I. **N**ON remitto ad consuetudinem cum Leon. Lessio, sed remotis personalibus decimis, prædiales moneo exhibendas esse, quamprimum collecti fructus sunt. *c. revertimini 16. q. 1. c. cum homines h. t. ubi Alexander III. Mandamus, ait*, quatenus eos cogatis, ut decimam statim fructibus collectis persolvant, atque de subtractis, & retentis dignam satisfactionem exhibere procurent. Quod præceptum rationi conforme in primis est; neque aliud tempus magis utriusque parti commodum assignari potest, quam illud, quo collecti fructus sunt. Quod si bis terve in anno fructus proveniant, toties facienda decimatio est. *c. ex parte h. t. Rebuff. q. 12. Moneta c. 6. n. 8. Azor. 11. l. 7. c. 35. q. 16. Barb. de off. Parochi c. 27. n. 5. Adit Silv. num. 15.* Si ex acervo frugum aliquid subtractum fuerit, dum rusticus moram facit, damnum ab eo compensandum esse, juxta *Reg. 25. lur. in 6.* Mora sua cuilibet noxia est.

II. Pro animalium fructibus seu foetu expectandum est tempus, quo vituli exgr. aut equorum pulli utiles esse incipiunt, & à matre separantur. Nec interest, corpus an pretiū detur, modò cõvenit,

merit. *Silo. n. 14. Fill. c. 12. Franc. Zypanus l. 3. Responfor p. 126.* agnos decimati vult non in prædio, nec secundum illius consuetudines, sed in pascuis, quia dominum suum potius, quam villam, & prædium sequuntur. Consentit *Fagundez in 5. Prac. l. 1. c. 5. n. 14.* addens, secundum Braccarenses consuetudines equorum, & asinorum pullos post biennium nativitatibus decimari: item si pecora in unâ Parochia per æstatem, in alia per hyemem pascant, dividendas æqualiter decimas esse. *l. cit. n. 6. cum Suar. Soro, & Roder. in Sum. c. 87. concl. 2.*

III. Quorum impensis, dantium, an recipientium inferendæ sint decimæ, ambigua quæstio est. *Glo. & Panor. in c. Reverentissimi. 16. q. 1. V. Horrea colonis & rusticis,* ac consequenter omnibus debitoribus, id oneris imponit. *Covarr. de exiguis idem affirmat,* contra communem terè praxin. Abstrahendo igitur à consuetudine, quæ nobis quidem hætenus ignota est, non sunt eo onere gravandi decimarum debitores, & cum à iure nihil definitum sit, satisfaciendæ dando, non importando. *Silo. lo. cit. Armilla n. 2.*

IV. Negantibus suo loco, & tempore decimas, non convenit manus iniicere Clericum, vel Sacerdotem, ut per vim extorqueat. Turbas enim, & pugnæ illata vis generat. Magistratus interpellandi sunt: ab his compellentur rebelles, & inobedientes. *c. Omnes 16. p. 7.* ubi dicitur, admonendos primò, secundò, & tertio, & si non obediunt, anathemate feriendos esse usque ad congruam satisfactionem. *Navar. l. 2. conf. 3. de decimis Rebus. Q. 9. Laym. l. 4. Tr. 6. c. 5. Suar. s. 38. n. 2. & 3. Fill. s. 12. n. 259. Laym. c. 5. n. 3.*

V. Si quæris, in decimas nondum separatas, & traditas, quid iuris Ecclesia habeat? Dico, non habere dominium propriè dictum, ut aliqui existimant, sed eandem, quæ rei promissæ, vel emptæ rationem esse. Dominium rei promissæ nemo se habere credit, nec rei emptæ nondum traditæ: habet tamen ius aliquod, quo ab ea repellantur alii: ius intellige ad rem, cuius beneficio exigere potest, & alienatam repetere, ac sibi vindicare, eo modo, quo §. 7. dicitur *Glo. in c. moderamine 16. p. 1. & c. Tua nobis. d. t. Frid. de senis. Rebus. Suar. & Fill. c. 12. n. 240.* ubi conciliari opinioniones putat dicendo, Ecclesiam habere usumfructum decimarum, hoc est, ius ad illas, & in illis, quòd vocetur dominium utile. Vnde sequitur, Primò ut per rei vindicationem repetere ab invasore possit. Secundò, ut exigere liceat decimam partem à quocunq; ad quem fructus non decimati devenerint. Remanebit autem tunc emptori, vel possessori cuicunq; actio adversum Venditorem. *c. Cum non sint. h. t. & c. Pastoralis eod.*

§. VI.

De exemptione, & privilegio non præstanti decimas.

I. **A** Personalibus decimis exemptus est I. Summus Pontifex, quæ à nullo ut Ordinatio suo Sacramenta recipit. *Suar. l. 1. c. 17.* 2. Parochi, & Curati, si non ex natura rei, ex voluntate, & intentione iuris scripti, in quo huius debiti nulla mentio. *Moscon. l. 1. de benef. par. 3. c. 3.* 3. Clerici respectu eius ecclesiæ, cui serviunt, & fructuum, quos propterea participant.

003

icipant *c. 2 h.t. 4.* iure communi à personalibus decimis exempti sunt, qui in communi viventes proprio labore se alunt. *c. Decimas 16. q. 1.* sive sint laici, sive clerici. Quin etiam extenditur ad prædiales, ex indulgentia illorum provenientes. *c. ex parte h.t. & c. multiplici eod. Suar. l. i. c. 18. n. 3. 5.* iure communi Cistercienses, templarii, & hospitalarii decimam prædiorum suorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colunt, non tenentur solvere: alij vero religiosi non solvunt decimas de hortis, & nutrimentis animalium, nec de novalibus, quæ propriis manibus, ac sumptibus colunt. *c. Ex parte tua. & ibi Barbosa.* 6. Post Cistercienses omnimodam exemptionem obtinuerunt omnes Mendicantes Ordines, ut videre est in *Comp. privilegior. Frat. Minorum.* 7. Superate omnes immunitate & privilegio PP. de Societate Iesu fatentur Doctores, *Franc. Leo in thes. fori eccl. Par. 2. c. 27. Piasec. par. 2. c. t. n. 63. Vallensis §. 8. Roder. 11. q. 45. art. 4. Barb. in summa Decis. 169. Henric. l. 7. p. 27. n. 9.* qui cum *Franc. Leone* testatur de facto in foro ecclesiastico, & diversis tribunalibus secundum illud privilegium iudicatum esse. Tenor autem sive summa in *Compendio privileg. Soc. Iesu* habetur *V. Exemptio n. 4. & 5.* Sed an ubique locorum prædicta immunitas recipiatur, merito dubites: Ius decimas exigendi, qui ante illam exemptionem habuerunt, nequaquam dimittent, opposcentes illud passim receptum. Privilegia absque præiudicio (saltem gravi) tertii intelligenda esse. Quamobrem *Vallensis l. cit.* privilegia Cisterciensium, & aliorum *in c. Ex parte* existimat non extendi ad decimas, in quarum perceptionis possessione erat Ecclesia parochialis, vel

alia iuxta *Oldrad. Consil. 268. Choppin. l. 3. de sac. à polit. et 2 nu. 7.* sicut nec extenditur. Idem docet *Zypaus in Anal. declar. pag. 212.* sed à *Suario* refutatur *c. 19. nu. 2.* Insuper *Barb. in summa decis. Apost. 169.* præter *Greg. XIII. Constitutionem, Pastoralis* de generali exemptione addit *Leonis XI. Impositi nobis* de vigesima danda in regno Castellæ, & Legionis: quam licet ad terminos *Gregorii XIII.* reduceret *Greg. XV.* huius literas tamen, omniaque & singula in iis contenta dicit *Motu proprio* & certa scientia revocasse *Vrbani VIII. in Const. Alias fel. record d. 20. Nov. 1623.* Quod si verum, manet Societati amplissima, & omnino singularis exemptio à *Greg. XIII.* primum concessa, qua maiorem nulli unquam Ordini datam legimus. Quis verò illius in posterum futurus effectus sit, si de præteritis coniectura valet, ignorare me fateor, nec expedire illud supra indicatum scio de iure Decimatoris antiquo. Hic enim si aquod iudicem excipiat contra privilegium postea obtentum, negotium abunde faceffet.

II. Privilegium non solvendi decimas ex novalibus extenditur etiam ad terras, quæ non sunt novalia. Ita DD. colligunt ex *c. Ad audentiam h.t.* ubi Pontifex generaliter eximit Cistercienses à solutione decimarum, comprehendens eos, qui de novalibus tantum intelligebant. Nam ex generalitate verborum, & intentione concedentis contrarium colligi potest, cum dicat *ex illis qua propriis manibus ac sumptibus excolunt,* non esse decimas exigendas: quod tam in novalibus, quam non novalibus locum habet: æquè enim hæc, ut illa, propriis manibus, ac sumptibus excoluntur. *Panor. Ost. Vivianus, Suar c. 19. Barb. in c.*

in c. cita. Ad audientiam, monens prædium intellectum, & amplam interpretationem non omninò securam esse, sed potius ita mentem Pontificis interpretandam, ut nulli inde præiudiciũ fiat, nullum damnum, aut scandalum sequatur. In eundem sensum loquuntur aliqui apud *Azorium* l. 7. c. 37. Q. 6.

III. Quin etiam ad terras, & bona acquirenda extenditur. Amplè enim cum nihil obstat, privilegii verba accipienda sunt. *c. Ex parte h. t. Henrig. l. 7. c. 27 nu. 6.* Si tamen conducta, vel in emphyteusis suscepta sint, quamvis Religiosi propriis manibus, & sumptibus excolant, ad decimas obligantur. Neque Coloni regularium eodè cum ipsis privilegio fruuntur, quia intentio Papæ cõcedentis privilegii exemptionis non est, liberare Colonos ab eo onere, sed personas, seu communitatè regularium tantùm. Vnde quicquid commodi Colonorum opera, & industria comparatur, id monasteriũ vel Ecclesiam censetur pertinere. *Az. l. 7. c. 35. Q. 6. Suar. c. 19 n. 3. Zypaus l. 3. Consult. 7. contra Charondam in Pandectis l. 1. c. 13.* Quod si reale privilegium fuerit eum re ipsa ad quemlibet possessorem deveniet. Laicorum longe alia, & dispar conditio est. Nam si illis Pontifex privilegium non soluendi decimas dederit, non extendetur ad novalia, quia eiusmodi concessio valdè onerosa est. *Fagund in 5. Prac. Eccl. l. 2. c. 2. n. 6.*

IV. Privilegium non soluendi decimas quatuor modis extinguitur, Videlicet.

Primò. Si privilegiatus ultrò decimas exhibeat, etiam semel tantùm. *Tholos. l. 2. c. 24 n. 9.* Censetur enim iuri suo renunciare. *c. Si de terra & c. Accedentibus de privilegi.* Quod si à toto Ordine renunciatur,

statim desinet, si verò tacitè, per consecutionem, quia alius acquirit ius, pro quo spatium annorum 40. requiritur. *c. illud de prescript. Henrig.* tamen 60. annorum lapsus exigit pro amissione privilegii, si Regulares ex negligentia non fuerint usi privilegio suo, vel ex omissione permiserint aliquos actus contrarios fieri. *Escobar Tract. 1. Exam. 14. c. 4. n. 17.*

Secundò per enormem læsionem ecclesiæ, vel parochi cui debentur decimæ. Equidem si damnum evidens sit, nulla Iudicis cognitio & sententia requiritur: si minus, ad Summum Pontificem deferretur. *c. Suggestum h. t.*

Tertiò ex conventionione partium, quæ post privilegii concessionem facta sit. Neque ut legitima transactio habeatur ullius Superioris auctoritate opus est. *Ang. & Silv. ex c. Multiplici hoc it. Bonac. Tom. 11. pag. 352 n. 4.*

Quartò per alienationem prædiorum in eos, qui privilegio carent. Alienatio enim privilegio sublato in pristinum statum reducit, quia non rebus sed personis concessum esse supponitur intuitu Religionis, & pietatis. *Rebus Covar. Alens. Ostiens. Panorm. Scoto. Thol. Henrig. l. cit. Suarez c. 20. Filliuc. c. 8. nu. 183. Laym. l. 1. Tract. 4. c. 23 in Q. Q. de Privileg. n. 19. 23 & al. silv. V. Privilegium nu. 10. Armillanum. 6. Roderic. Tom. 111. q.*

51. ar. 5. Mandos de privil. nu.

329. Tuschus Concl. 755.

& sequ.

* *

§. 7. De

§. VII.

De culpa, & poena iniuste negantium decimas.

I. **S**ubtrahens aut detinens iniuste decimas contra iustitiam, & religionem peccat, graviter, aut leviter pro quantitate rei, teneturque ad restitutionem, non secus, atque fures, & raptores. *c. Passoralis b. t. Decimæ enim Ecclesiæ debentur, & DEO, alimenta pauperum animarum sunt c. Quia 16. p. 1. tributa indigentium c. Decima eod.* Qui verò sacrilegos vocant iuxta *c. 1. 16. p. 7. minus proprie loquantur.* Neque enim decimæ eo modo, quo calix, exempli gratia res sacra, aut DEO consecrata est. *Bonac. p. 5. pun. 3. nu. 16. Fagund. in 5. prac. Eccl. l. 1. c. 4. nu. 7.* ubi addit, eos quoque mortaliter peccare, qui in magna quantitate ex decimis meliora separant, & sibi relervant.

II. Negantibus iniuste decimas iure communi excommunicationis pœna decreta est, *c. Statuimus 16. q. 1.* quam confirmans *Conc. Trid. S. 25. c. 12.* Qui, aut, decimas aut subtrahant, aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione facta absolvantur. Quod *Avila* explicans. *Par. 2. D. 3. D. 8.* dupliciter dicit intelligi posse. Primo modo, quod iam sint excommunicati, si nimirum restituere possint: alias cautionē præstitisse sufficet. Nam iuxta commune ius in *c. Alma mater. de sent. excom. in 6.* quando satisfactio realis non potest fieri, danda sufficiens cautio est. Secundo modo, antequam excommunicentur: & tunc intelligi debet, si possint satisfacere. Quod

si non possunt, credo, non requiri cautionem, sed sufficere firmum propositum restituendi, cum poterit. Ita *Avila. Nav. c. 17. n. 69. c. & c. 21. n. 3. 2.*

III. Eadem excommunicationis pœna manet religiosos, qui alienas decimas sibi malis artibus vendicant, vel prohibent, aut non permittunt exhiberi illis, quibus debentur. *Clem. 1. de decimis.* Item, qui concionibus suis vel alio modo fideles avertunt à soluendis decimis. Denique qui confessiones audiendo, nullum scrupulum iniiciunt defraudantibus, tamdiu ipso facto suspensi sunt, donec eos admonuerint, ut, quas debent decimas persoluant. *Clement. Cupientes. de pœn. Az. 1. l. 7. c. 37. ci. fin. Silv. n. 9. & V. Excommunicatio n. 8. Fagund. in 5. Prac. Eccl. l. 3. c. 6. n. 5. Compend. Privileg. Frat. Minor. V. Decima Jacob de Graff. Par. 2. l. 2. c. 27. nu. 53. Roder. 11. q. 45. art. 8. Escobar Tr. 1. Ex. 14. c. 4. n. 26.*

IV. Præter excommunicationem aliis quoque pœnis uti poterit Iudex, attendita personarum, & delicti qualitate. Neque enim desunt, qui pecuniæ, quam ecclesiæ separationem magis timeant, factis potius, quàm denariis carere malint. Ad id potestatem & directionem impertit. *Conc. Tr. Sess. 25. c. 3. Silv. V. Immunitas 1. num. 8. Azor 1. l. 7. c. 36. Zypanus in Analyt. enarrat. l. 3. pag. 212.*

V. Cognitio de Decimis ad forum ecclesiasticum pertinet, de iure immediate, & principaliter, de fructibus consequenter. *c. Per venit. c. Tua nobis. c. Prohibemus b. t. & to. re. de fo. comp.* Cùm autem duplex iudicium sit. Vnum possessorium, ubi de possessione cognoscitur, alterum petitorium, ubi de proprietate; de hoc quidem

dem nulla controversia est, quin iuris ecclesiastici sit; de altero ubi de possessione litigatur, inter DD. non convenit; multis ad forum seculare trahentibus, inter quos *Selva par. 1. De benef. p. 7. num. 12.* *Gr. Tholos. de benef. c. 40. num. 10.* & alii apud *Covar. l. practie. pp. c. 35.* & *Nicol. Garciam par. 1. de benef. c. 2. num. 50.* *Piassec. par. 2. c. 4. num. 59.* *Tanner. D. 5. p. 3.* *Dub. 2. num. 45.* *Zypaum in Anal enar. p. 20.* Et omnes universè putant, laicum iudicem de possessorio cognoscere posse, sive agatur de decimis, sive de beneficiis, aliisque similibus: quibus favere videtur *Glossa in c. Literas de iuram. calumn.* Nam possessio rei spiritualis, non in iure, sed in facto consistit. Et in *l. naturaliter §. 1. ff. de acqu. pos.* dicitur, quòd proprietatis nihil commune habet cum possessione. Sed nihilominus opposita sententia rationi, & iuri conformior est. Quamvis enim possessio & detentio rei in facto consistat, non idèò forum mutat, sed naturam principalis sui sequitur & sub ecclesiastico iudice manet. *c. 1. Clem. un. de causa poss. & proprietatis Clem. un. de sequestrat. possess.* & *Clem. dispendiosam De iudiciis.* Ad leg. *Naturaliter* dico, proprietatem nihil commune habere cum possessione quoad acquisitionem, quia separari possunt: at quoad cognitionem iudicalem connexa sunt, & divisionem respuunt iuxta *l. Nulli c. de iudic. V. Zypaum de iurisd. eccl. l. 1. c. 39.*

VI. In quæstione seu causa solius facti, V. g. de decimis furto ablatis, vel ne darentur, impeditis, laicus esse Iudex potest. Eiusmodi ires enim mixti fori sunt: iniuriam igitur prohibere, & factam ul-

cisci utriusque Iudici, ecclesiastico, & seculari permittitur. *Rebuff p. 10. num. 3.* *Moneta p. 8. num. 13.* *Franc. Leo in thes. eccl. par. 2. c. 27. num. 22.* *Az. l. 7. c. 25. Q. 5.* *Zypaum de iurisd. eccl. l. 1. c. 39.* *Gaill. l. 1. obs. 38.* *Laym. l. 4. tr. 9. c. 2. num. 13.* ubi affirmat etiam coram laico iudice conveniri posse conductorem decimarum, quando in morâ solvendi est, quia non agitur de iure, aut possessione, sed pretio convento. *Piassecus quoque l. cit.* monet controversias decimarum summarie expediendas esse. *Clem. Dispendiosam de iud.* neque in illis appellationem admittendam. *c. Tu nobis. Maranta p. 3. nu. 293.* quoad effectum videlicet suspensivum, cum quis in possessione sit, & de possessorio agit. Tunc enim appellatione impediri non potest, quo minus utatur possessione sua.

VII. Cui iniuste negantur aut subtrahuntur decimæ, petere eas potest conditione ex lege, seu Canone, etiam quando consumptæ, vel ex iniusta causa alienatæ sunt. *Argum. l. un. ff. de cond. et. ex lege.*

Si obligatio lege nova introducta sit, nec cautum eadem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege agendum est: idque DD. communiter tenent in *c. Commissum 4. h. t.* Nec interest, apud quem decimæ extent. Nam contra quemcunque detentorem, vel possessorem conceditur vindictio: cum nunquam transferantur, aut alienentur absque tali onere. *c. Cum non sit. & c. In aliquibus h. t.* Vbi *Glo. notat in V. Compellantur*, pactum non nocere ecclesiæ, quin à quolibet possessore reperere decimas possit, quia est onus, quod sequitur ipsam rem. Vnde *S. Tho. p. 87. a. 2. ad 4.* Si quis vendat triticum non decima-

tum, potest Ecclesia decimas exigere etiam ab emptore, quia habet rem ecclesie debitam, & à venditore, quia, quantum est in se, Ecclesiam defraudavit. De iniusto destructore idem iuris esto, siue in solo hærentes fructus destruxerit, siue separatos corruerit. *Innoc. & Abb. in c. Commissum h. t.* Compelletur enim satisfacere, & compensare diuinum: neque modo curamus, directâ an indirectâ actione expecturus sit Decimator, qui damnus passus est. *V. Az. l. 7. c. 35. Q. 5. Laym. l. 4. tr. 6. c. 1. nu. 4. Franc. Leo in thesau. fo. eccl. Par. 2. c. 27 & seq. Maria de iurisd. p. 2. c. 43. Barb. de officio Parochi c. 28. Covarr. l. præst. QQ. c. 35. Less. c. 19. c. 4. num. 15. Zypaus de iurisd. eccl. l. 1.*

c. 39. num. 3. Ceuall. de cognit. per viam viol. p. 56. Card. Lugo Conclus. 74. Suar. l. 1. c. 38. ubi etiam monet præteriti temporis decimas non solutas ab illis exigi posse, ad quos prædia emptione, donatione, testamento, aut alio titulo deueniunt. In hoc enim Tributis æquipantur, quorum onus in novum possessorem transit, ita ut etiam præteriti temporis neglecta tributa solvere teneatur. *Imperator ff. de public. & vestig. Imò cogi posse dominos prædiorum, ut non vendant, aut locant nisi illis, à quibus decimas sine contradictione percipere queat, Ecclesia, Abb. in c. Aliquib. h. t. tradit.*

TITULUS III.

De Tributis.

HUc nos materiae affinitas vocat. Sicut enim Ecclesia decimam fructuum partem, pro necessitate ministrorum suorum exigit, ita Reges, & Principes ad status sui, & reip. conservationem, de bonis & mercibus subditorum certam quotam decerpunt, maiorem, vel minorem, prout necessitas exigere videtur. Tributum vocamus, vel decimam laicalem. Aliqui enim decimarum duo genera faciunt, ecclesiasticarum, seu clericalium, & laicalium: quamvis alio etiam sensu laicales vocantur, quibus ab ecclesia concessis laici utuntur. *Yholof. l. 2. c. 20. Laym. l. 4. tr. 6. c. 1. Synonyma sunt Tributum, Censur, annua*

præstatio, annona militaris. *Card. Infebus Conclus. 391.*

§. I.

De causa & necessitate tributorum.

I. **M**ateriae & finis, propter quem tributorum, varietas facit, ut plura genera sint. Præcipua numerantur quatuor. Primum vocatur Censur, seu pensio, quam eives vicinim pro capite insignum subiectionis Principi solvunt. De hoc Pharisei Christum interrogarunt, liceretne Cæsari dare, an non? *Eundem*